

U -ti-nam ergo qui nos modo exercent, convertantur,  
et nobiscum exercentur: tamen quamdiu ita sunt ut  
exercent, non eos odimus: quia in eo quod malus  
est quis eorum, utrum usque in finem perseveraturus  
sit, ignoramus. Et plerumque cum tibi videris odisse  
inimicum, fratrem odisti, et nescis. Diabolus, et angeli  
eius in Scripturis sanctis manifestati sunt nobis,  
quod ad ignem æternum sint destinati. Ipsorum tantum  
desperanda est correctio, contra quos habemus occultam  
luctam: ad quam luctam nos armat Apostolus, dicens: Non  
est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem:  
id est, non adversus homines, quos videtis, sed adversus  
principes, et potestates, et rectores mundi, tenebrarum  
harum. Ne forte cum dixisset, mundi, intelligeres  
dæmones esse rectores cæli et terræ, mundi dixit, tenebrarum  
harum: mundi dixit, amatorum mundi: mundi  
dixit, impiorum et iniquorum: mundi dixit, de quo  
dicit Evangelium: Et mundus eum non cognovit.